





78 L 1637 [39]

COMMENTATIO PHILOSOPHICO CRITICA  
DE  
**ERRORIBVS**  
EX PRAEIVDICIO VETVSTATIS  
IN HISTORIA  
FACILE COMMITTENDIS.

QVA  
AD AVDIENDAM ORATIONEM VALEDICTORIAM  
IN WERNIGERODANO ARTIVM COLLEGIO  
D. XI. APRIL. CIO 10 CCCLV.  
HABENDAM

**ILLVSTRISSIMOS COMITES**  
ET SCHOLAE PRAESIDES  
FAVTORES DOCTORES ATQVE AMICOS  
OMNI, QVA OPORTET, PIETATE ET OBSERVANTIA  
INVITAT

CHRISTOPHORVS GODOFREDVS IACOBI, P. D.  
ILLVSTRISS. COMIT. STOLB. WERX. BIBLIOTHECAE PRAEFECTVS.  
LYCEI HVCVSQVE CORRECTOR.

Wernigerodae, e Molybdographia I. G. Struckii, typogr. aulic.

COMMUNITATIS PHILOSOPHICAE CITHIC

DE

# ERRORIABE

EX PRIVILEGIIS AUTISTARIIS

IN HISTORIA

LUCIFER COMMUNIUS



Kapsel 78 L 1637 [39]

LIBRARY OF THE COMMUNITY OF FRIENDS

OF THE SOCIETY OF FRIENDS

THEOLOGY BOOKS FROM THE LIBRARY

OF THE SOCIETY OF FRIENDS

INTRO

COMMUNITATIS PHILOSOPHICAE CITHIC

EX PRIVILEGIIS AUTISTARIIS

IN HISTORIA

LUCIFER COMMUNIUS



### §. I.


Multis de caussis tritum illud, *errare humanum*, Errorum pro vero potest haberi. Quoniam enim humano errat, qui rebus falsis adsentitur; mortales autem, ob virium inopiam, ob cognitionis solidae penuriam, ob visus et experientiae defectum, non statim vera a falsis secernere possunt: facile fucum putant colorum, umbram existimant corpus.

### §. II.

Defectum autem atque inopiam non solas errorum caussas putare possumus. Deprehenduntur quoque in hominum animis multa, quæ veritatis luci, penitus alias irradianti, parietem obducunt. In his festinandi in diadicandis rebus libido, antequam legitime cognoueris, iudicaueris, comparaueris, mentem rapit in tenebras, diem alioquin anhelantem. Sic cognitioni et perceptioni præcurrit assertio adprobatioque. Partium quoque, ut dicitur, studium, eleætae nimirum parti eiusque doctrinis inconsideratus data adsensio, quae in adsentationem abit, a via recta abducit in lubricam, dubiam, ambiguam, in viam saepe perniciofissimam.

A 2

§. III.



## §. III.

Prae caeteris  
teris  
praeiu-  
dicia.

Prae caeteris tamen iam ante de rebus, quam ipsas iudicaueris, conceptae opiniones, *praeiudicia* vocant, hominum mentes nimium obuelare consueuerunt. Quam verum his nebulis inuolutus ferre possit iudicium, non longa indiget demonstratione. Cui enim veritas non per se nudaque exhibetur, sed inuolucris deformata, veram ipsius imaginem sibi repraesentabit numquam.

## §. IV.

Quae-  
nam  
sint ?

In philosophiae parte, quae de rationis humanae in cognoscendis diiudicandisque veritatibus vsu legitimo tractat, plures eiusmodi peruersas opiniones vetari, fugiet exquisita doctrina præditorum neminem. *Auctoritatis, receptae doctrinae, ignorantiae, confidentiae, planitatis, subtilitatis*, sic dicta *praeiudicia* quid aliter sunt, quam veri de rebus ferendi iudicii obstacula, impedimenta? In omnibus, nec alias eruditio[n]is laude perspicuos, nec me ipsum, profunda cognitione, puta, præstantem, falli posse, peruerse, licet obscure, causiarum cognitioni præmittitur.

## §. V.

Eorum  
noxae.

In omnibus disciplinarum scientiarumque generibus eiusmodi veritati contrarias disceptationes errorum numerosas procrease familias, optimus quisque lugeat, necesse est. Tempus enim, quod propellendis saepe falsis hominum sententiis tribuendum est et distinguendis veris a falsis, in sectandis certis fundamentisque subnixis rebus consumi posset. Animi erroneis semel ideis imbuti distractionem praetereo, non facile postea vitandam. Canunt enim libenter senes, quae didicere iuvenes.

## §. VI.

Præciu-  
dicia hi-

Praesertim in rerum ante aetarum studio non raro distinctur præiudiciorum procellis, qui tutos historiae por-

portus quaerit. Qui se iis tantummodo limitibus, qui-  
bus alii, circumscriptum putat, et sic de rerum gesta-  
rum natura atque indole ratiocinatur, valde errare so-  
let. Hanc enim legem iniuria latam sequitur: quae me  
aliosque fugiunt, falsa habent; quae vero mihi aliisque in-  
noruere, impugnari nefas ducitor. Quantum ex præjudiciis  
hifce ignorantiae et confidentialiæ dictis, detrimenti ceperit hi-  
storiarum notitia, longum est enumerare.

### §. VII.


Inimicis his legitimæ rerum in terrarum orbe an- Quibus  
tēhac gestarum disquisitioni opinionibus nouam aliquam adnume-  
in praesentia adiungemus, quae ab antiquitate nomen ratur  
accipiet. Qui in diiudicandis rerum vbiicumque acta- præiu-  
rum monumentis huic suffragatur sententiae: veritas olim dicium  
gestorum non eodem modo, quo recentiorum, est eruenda, præ-  
vetus tatis admittentem dicemus.

### §. VIII.

Hocce præiudicium nobis non haec est propositio: Negati-  
quae ante nostram patrumque nostrorum memoriam ac- ue, quid  
ciderunt, omnia non sufficienter satis discerni possunt, sit?  
vtrum vera sint, an falsa. Multa quidem vera haberí,  
quorum fides, curationi instituta quæstione, facile solet  
corruere, non negamus. Multa etiam pro veris solere  
vendi, quae saltem veri sint similia, quoque haud diffi-  
temur. Nec plurimas memoriae nostræ traditas res cer-  
te falsas dici posse, inficiamur. Attamen permultarum  
in historiis propositarum rerum nec veritatem nec falsi-  
tatem plane posse ostendi, atque adeo in medio oporte-  
re relinqu, numquam abnuemus.

### §. IX.

Neque eum, qui antiquiora maxime ex parte a Quid ad  
nobis ignorari, adfirmat, in iudicium vocamus. Luben- illud  
tes accedimus iis, qui, magnas historiarum lacunas se non re-  
pra-



ferentium: praeterisse, narrant. Sicuti enim multa solent referri, quae nusquam existere, ita et multa, quid? plura fuisse, quae numquam posteritati sunt proposita. Quis negabit? Quis vero has superiorum temporum iacturas nimis dolebit? Eset profecto is, qui omnium usquequaque rerum imagines cerebro suo posse inscribi, arroganter satis putaret.

### §. X.

Positive, Illum potius ex *vetus statis praeiudicio* errantem deprehendemus, qui rerum bene multarum, superioribus saeptis prae-  
culis gestarum veritatem sibi putat perspectam, non tamen eadem via adeptam, qua rerum nostra aetate acta-  
rum reddimur certiores. Facilis hic et ad adsentendum  
mittens et ad negandum potest adduci. In exponendis deinde  
veterum monumentis coniecturas magis, quam firmas sta-  
bilesque sententias consequitur; licet de iis, quae recente-  
ter contigerunt, iudicet callidissime. Quoniam autem  
veritas per se, siue rerum inter se conuenientia, semper  
est eadem; veritas etiam in nobis, ut ita dicam, seu in  
animis nostris, quae alias certa veritas audit, omni tempore  
sit sufficiens rerum inter se congruentium perce-  
ptio: numquam pro certis habere potest antiquiora, qui  
ea non aequa, ac recentiora, legitime cognovit, inter  
se non comparauit eorumque vel congruentiam vel re-  
pugnantiam distincte non perspexit.

### §. XI.


Negligit iam brevis de singulis veritatum perulgatis genera-  
ribus, quae, ratione diuersae in variis rebus conuenien-  
tiae habita, solent constitui, *metaphysica* nempe, *moralis*  
ac *logica*, nobis erit sermo. Triplicis enim huius verita-  
tis naturam bene calleat, qui in afferendis probandisque  
rebus olim gestis non errare vult, historiarum cultor.  
Alias quam plurimis ante actis ea imponet nomina, quae  
nullo meruerunt modo. Homines quoque mortali hac  
vita

vita olim defunctos sibi finget tales, quales numquam fuerunt. Attribuet aliis, quae ipsis non competit. Aliis auferet iure ipsis adscribendum. Nonne sic aberrat a vero, quod metaphysicis dicitur proprium? Hi enim rei, cui non competit definitio, definitum iure abrogandum decreuerunt.

### §. XII.

Historiarum doctores similiter ac discipulos toties, <sup>Quod</sup> qui in eo delirasse, scena ostendunt, hic illicue apertae, illustra-  
Quem fugit de M. Iulio Philippo, Romanorum imperatore, tur,  
ab Arabia nuncupato, prolata a permultis sententia, qua  
Christi cultoribus illum adscribendum non dubitaverunt?  
In ferendo hoc iudicio veri christianismi naturam si re-  
putassent, numquam ei addixissent imperatorem, qui  
manus suas Gordiani III. domini, curaeque ipsius demandati  
principis sanguine foedavit, qui sacris profanis non  
interfuit solum, sed cultum quoque idolorum in cele-  
brando ab V. C. anno millesimo edictis atque imperiis pro-  
mouit. Inde, qui nomen demum apud Christi asse-  
clas fuerit professus, nullus video. Hodie quidem, proh  
dolor! leges divinas proterue violant multi, qui Christi  
nomen gerunt, hoc vero tantummodo, quia a parentibus  
est traditum, gerunt, minime autem, ut in Philippo fuisse  
necesse, a vera Christi Saluatoris cognitione acceptum.  
Contra ea Constantino illi magno nomen Christi cul-  
toris posse eripi, nemo adfirmabit. Num vero sincera ani-  
mi erga Christum fiducia fuerit, et vera religionis christia-  
nae indoles ipsi sit tribuenda, non adeo facile est diiudicatu.  
Quem quidem ex rationibus plane politicis religioni christi,  
anæ addictum non contenderem, ut viri non plane impe-  
riti fecerunt; in eo tamen, qui exteriorem ecclesiae digni-  
tatem maxime promouisse dicitur, qui sacro baptismo la-  
uacro adspersi ad extremum fere vitae halitum distulit-  
integrali cultus diuini naturam deprehendere non  
dum potui.

### §. XIII.



## §. XIII.

Nec veritati ethicis praesertim addictae satis consu-  
tem mo- lit, qui in historicorum diiudicatione vetustatis praeiudi-  
ralem catio comitatus incedit. Qui enim omnia maiorum mundi  
incolarum verba actionesque cum mentis cogitationibus  
semper conuenisse facile existimat, illos non ita, ut homi-  
nes hodie mundum frequentantes, mentiri potuisse, ar-  
bitratur. Falso. Mendaciorum olim aequa sparsa erant  
semina, fructus suos non denegantia. Quos nisi prouide  
inquirit historiarum studiosus, tribulos metit pro triti-  
co. Sermones multorum animi statim voluntatisque du-  
cit testes fide dignos; sic bene animatum ob oculos fibi  
ponit, cuius tamen sub pectore fraudes interdum litue-  
runt, quae ex totius vitae, si ad nos peruenit, descriptio-  
ne factorumque omnium complexu essent detegendae.  
Alios in crimen vocat, accusat, condemnat, qui tamen,  
omnibus sedulo perspectis, magis laudandi sunt, quam  
criminandi.

## §. XIV.

Illustra- tio. Inde in eligendis praesertim historiarum auctoribus fi-  
de dignis labitur imprudens. Prouocat ad eos, qui verum  
quidem dicere potuerunt, vtrum vero voluerint, nondum  
apud animum reputauit. Scriptor ipse saepius non in cul-  
pa est, cur rebus ab ipso prolati non statim fides sit ha-  
benda. Retulit enim fideliter, quae alii nuntiarunt; hi  
vero veritati, nisi in totum, tamen ex parte contraria nun-  
tiauerunt. Quae nostris temporibus accidere solent, sen-  
tentiam hanc nostram illustrant. In vrbe enim quadam  
omnium ore virum quemdam mortuum esse exhibetur.  
Quidam litterarum commercio cum exteris vtens iam con-  
signandis litteris rumorem hinc adhuc committit. Episto-  
la autem vix vrbe exiit, quum id, quod omnium sermone  
celebrabatur, subito euanuit. Sic falsa retulit, qui veri erat  
studiosus. Post annum enim adhuc vivit, qui albo mor-  
tuorum iam ab aliis est illatus. Plura ideo nostris diebus  
in


in relationibus publicis leguntur, quae quidem rei ipsius, non vero modi, temporis, loci aliarumque determinacionum ratione habita, vere relata dici possunt. Similis est vetustorum ratio, simili itaque circumspectione sunt peruestiganda. Herodoti illud *dicunt siue fertur semper in historicorum museis tinniat.*

### §. XV.

Praeiudicata vetustatis opinione ductus historiarum <sup>A veritate</sup> cultor in veritate quoque logica adlucinatur. Quid de te logica <sup>aberrat.</sup> <sup>mum logicae cum historia est ? Quo modo historicus logi-</sup> corum veritatem potest transgredi ? Longius sane, quam autumat. De rebus in historia obuiis formet sibi ideas, quae simulac cum obiectis non conueniunt, falsae ab iis dicuntur, qui philosophiae rationalis praecepta tradunt. Quoties vero sibi conceperunt posteri res quasdam ante actas haudquaquam tales, quales fuere ? Iudicia exinde fluentia numquam iungere possunt quae iungenda, et separare, quae separanda. Omnibus tribuitur, quod singulis est imputandum. Contra ea singulis aufertur, quod vindicare sibi possunt vniuersi.

### §. XVI.

In historiarum disquisitione qui hodie elaborat, nemo Quod adeo imperitus erit, quin plura huius rei proferat exempla. Bella praesertim olim gesta multorum imaginandi vires vexarunt. Exercitus sibi finxerunt perennes, qui tamen conductitii fuerunt, aut imperio conscripti. Naturam locorum, ubi praelia sunt commissa, plane peruersam sibi representarunt. Arma, tormenta, impedimentaque ea animo creuerunt, quae tunc temporis non in usu fuerunt. Quis eorum ideas veritatis insigniet nomine ? Attamen, his pro fundamento collocatis, rerum gestarum systemata condiderunt. Longa iam testimoniorum adlegatione supersedere, est animus. Id unum tantummodo nominamus, quod in rebus ecclesiasticis, sectarum in primis haeticarum recensione, solet offendit saepius. Nonne etiam



vitae cultusque rationem eorum, qui a vera doctorum sententia vel ex parte dissenserunt, statim ita descripserunt multi, ut horrorem iniiciat, nisi praemoniti aduersariorum iudicia caueamus? Fuerit Montanistarum ynus et alter adulter; fuerit Nouatianorum quidam patricida, quis vero a partium studio vacuus illos omnes flagitiosos haberet, hos sceleratos omnes? Eadem enim ratione purgatae religiosis societatibus addictos omnes cum Baronio vocaremus Manichaeos, quia sanctos adorari vetant, et liberum sacri co-dicis usum concedunt omnibus. Quamquam itaque cum venerando Godofredo Arnoldo omnibus haereticorum labi infectis numquam patrocinabimur; numquam tamen, nisi etiam cum Cochlaeo aliisque aduersus Lutheranos stare, hosque atris iisdem coloribus depingere cogimur, illos, qui superioribus temporibus haerefeos ac dissidiis opinione laborarunt, ad modum Epiphanii suaequem fortis aliorum, atro notabimus carbone omnes. Imagines ab intimorum penicillis pictas nouimus, quas homines ipsos referentes qui iudicat, peruerse iudicat.

### §. XVII.

Eorum, quive-tust.præ-iud.pec-cant,sym-bolum,

His quasi per lancem saturam expositis, omnibus, qui vetustatis præiudicio in viam abducuntur salebrosam, symboli loco, in vulgis notum illud: *Olim non erat sic*, adscribere, haud nefas erit. In texendis enim plurimis tricarum globulis instar scapi sonantis eodem vntuntur. Quae exinde oritur confusio, saepe non facilis est ad soluendum. Damnant enim aetatem suam, mala ab ipsis perferenda nimium amplificant, hodiernae felicitatis exiguitatem queruntur, praeteriti autem temporis gloriam non satis celebrandam putant. Eorum, quae hodie geruntur, obscuritatem criminantur, antiquiorum lucem se videre praedicant.

### §. XVIII.

Quod damna-tur.

In refutanda hac opinione nequidem ad Salomonem illud vetustum: *nihil noui sub sole accidit*, prouocabimus, rem ipsam contradicentem percipientes. Eosdem qui-




quidem homines, qui olim vixerunt, hodie non videmus; idem tamen genus naturali tabe confectionum. Non adsunt iidem reges et principes, qui olim principatum obtinuerunt, atque imperiorum clavos tenuerunt; adsunt tamen regna, principatus, ciuitates, honores. In officinis ac tabernis non inuenimus veteres opifices, mercatores, insti-  
tores; in quavis tamen vrbe adhuc inueniuntur tabernae atque officinae. Quae maiores nostri consumferunt ali-  
menta, iisdem vesci nos non possumus; quaerenda tamen adhuc sunt alimenta. Quid multa? Deus idem sum-  
mus rerum arbiter hodie regnat, qui mundi rex primor-  
dia. Est enim, qui erat, eritque. Rerum quidem ab ipso creatarum modi casusque pro temporis locorumque  
ratione diuersi sunt, graduum quoque vicissitudines genero-  
rumque transformationes admittendae; essentiales vero re-  
rum affectiones transformari nequeunt. His si iure veri-  
tatem adnumerauerimus, eam in rebus longe ante gestis  
eodem modo inuestigabimus, iisdem adhibitis criteriis,  
quam in actionibus ac permutationibus, quas nostra vidit  
aetas. Aliter qui incedit, non viam sequitur rectam, a-  
pertam, legitimam.

### §. XIX.

Quae cum ita sint, et vetustatis praeiudicio fidentem ab ianua aberrantem videamus, errores etiam, quos in di-  
adicatio-  
indicandis historiis admittit, haud difficulter sunt explo-  
randi. Ex iis, quae haetenus dicta sunt, quam plurimos  
elicere iam poterit, qui acetum in peccatore habet, nec pro-  
cul deprehendet historicos in eosdem delapsos, praefer-  
tim aliis adhuc abreptos praeiudicis. Breuiter tamen ad-  
iungemus potiores, quos caueat recto historiarum tramite  
ingressurus.

### §. XX.

Caussam rebus exinde effectis postponi haud posse, ne-  
que temporis ratione inferiorem illis haberi, veritatis sem-  
per vigentis docet natura. Non defuerunt tamen inter perver-  
seriem  
eruditum.



eruditos, qui rerum humanarum euentus priores posuere, quam earum rationes. Sistunt se hac in re oculis nostris opiniones eorum, qui e monumentis de cultu deorum antiquissimis plura in religionem Mosaicam contulerunt, et in illa leges ex profanorum ritibus defumtas se videre putarunt. In eo prae caeteris citare solent, quae Herodotus de Ægyptiorum moribus sacris memoriae reliquit. Quasi vero scriptor hic laude sua non priuandus ante Mosem litteris consignasset Ægypti naturam, incolas, mores. Post egressum Israelitarum e Pharaonis imperio leges Ægyptiorum sacras legibus Mosacicis demum accommodatas esse, magis pro comperto potest haberi, quam sententia huic contraria. Quis enim omne Israelitas inter et Ægyptios commercium sublatum esse, contendet? Iam ante ex regione Cananitica in Ægyptum proficiscebantur mercatores, quam Jacobus cum suis Ægyptum viserat. Per quos enim Josephus diu ante hoc traductus erat? Postea Deum, qui tot portenta in educendis Israelitis ediderat, Ægyptii procul dubio ita pertimuerunt, ut ex ritibus Judaeorum in solitudinibus Arabicis tot annos commorantium nonnullos sibi suos reddiderint, quos vel e longinquo cognouerant. Hunc enim in omnibus gentibus obseruatum morem vidimus. Quam ob causam ad vnum omnes in errores non leues delapsos putamus, qui theologiam gentilem ex theologia tantum naturali conflatam existimant. Non dicam enim, quod ratio hominis sibi relicta nullo modo in eas incidere potuisse cogitationes, quibus ad sanguinem animalium vel in honorem vel gratiam Dei fundendum, ad victimas eidem offerendas, ad aras sancte erigendas essent adducti mortales; ipsa hominum generis, maxime post diluuium, propagatio, nuncium de Noachi religione, de ipsius sacrificiis, ritibusque sacris per filios suos ac nepotes reliquis posterorum familiis traditum docet. Quid? familiae Semiticæ religio non in terrae angulo lituit. Vicini nonnihil ex ea sibi arrogarunt. Chaldaeи deinde, Phoenicii, Ægyptii et ab his Graeci adsumtis facile addiderunt adsumenda


da. Sic vetustatis praeiudicio non obcaecatus idololatram religionem veri Dei cultus simiam censem.

### §. XXI.

In eruenda antiquiorum auctorum factorumque veritate non iisdem legibus infistens, ex quibus temporibus inferioribus novissimisque gesta aut verorum aut falsorum nominibus condecoranda sunt, facile quoque eo potest deduci, ut plura ibi se videre putet, vbi una modo extitit eademque res. Non raro easdem actiones hominum diuerse retulerunt auctores; prout nostra quoque aetate chartis mandare solent homines varii ea, quae acciderunt, non dicam peruersa, sed varia tamen ratione. Alius in narrandis rebus omittit, quae fusius exponit alias. Quis vero ex numero referentium, res quoque numeraret? Pro diuersitate auctorum non statim diuersa habebis acta. Suo enim genio indulgent mortales, neque hodie solum, sed et olim. Omnis itaque, qui in historiarum disquisitione has oculorum officias non nouit, non pellit, lentibus vtitur polygonis.

### §. XXII.

Rerum vero gestarum similitudo, similis saltem earum expositio, eum, de quo loquimur, alio tempore ita praecocupare solet, vt viros, vere diuersos, eosdem habeat, et vribes longe distantes, easdem. Ibi venditabat, quae nunquam adfuere, hic e rerum natura tollere conatur, quae tamen vident hominum aetas. Factorum sermonumque consensus non res easdem efficit. In pugnis, quas cum Gallis fecit Caesar, eadem fere contingere potuerunt, atque in iis, quibus Drusus aut Tiberius Germanos pepulere. Suntne eam ob causam eaedem? Hodie profecto conformis actionum variarum ratio probe solet distingui ab iis, qui non famam mendacem pro historia arripiunt. Eadem vero in antiquissimorum monumentorum recognitione adhibenda est cautio. Quod exemplis si illustrare me oporteret, eos praeceteris pronuntiarum, qui in vita Salvatoris nostri a quatuor sic dictis Evangelisticis descripta non raro peccarunt interpretes. Quem



ad modum res ab illis diuinitus prolatas, ob aliquam interdum narrationis differentiam, falso multiplicarunt; ita e contrario statim easdem putauerunt, quas ipsi tamen sacrorum horum scriptorum libri distingunt. Quas ob causas in aliis disceperunt ecclesiarum doctores, utrum Christus semel an bis a Satana in montem altum, tentandi gratia, sit abductus? utrum per Ierichunticam ciuitatem profectus vnum, aut duo an omnino tres caecos sanauerit?

### §. XXIII.

confundunt.

In peius adhuc ruunt vetustatis praeiudicio abrepti, qui vel ob differentiam, vel ob similitudinem res inter se confundunt. Nonnullis hi adscribere consueuerunt, quae nulla ratione ipsis, sed aliis, competunt. Pluribus vindicarunt, quae vnu tantum sibi arrogare potest. Temporis, locorum et nominum praesertim similitudo multos in eo multum fellit. Non in studiis solum mythologicis hoc probe obseruanimus, sed in veterum quoque scriptorum annalibus. Gentiles enim sacrificulos multa ex Noacho et Mose in Baccho compilasse, ex Noacho autem iterum plures, vt Saturnum, Ianum et ex parte Herculem procreasse, non difficile est ad colligendum. Manethonem vero, Xenophontem, quid? post Christum natos, ecclesiae praesertim historiae scriptores, plures inter se confusisse, iamduudum notarunt eruditii. Nonne e.g. Eusebius aperte in eo errauit, quod Maximinum et Maximianum Herculeum Imperatores inter se permisceat, et horum vni, quae alterius sunt, tribuat? Nominum autem sine dubio congruens sonus mentem abstulit. Multa ex historia litteraria hic adferre possemus, si instituti permetteret ratio. Locorum, librorum, paetorumue denominationes in quorundam cerebris procrearunt eruditorum nomina. Ridiculum itaque fatis est, quod nonnulli in scriptis suis ad Altorium, Mantissam, Aerium Alienum, et Articulum Smalkaldicum, viros quasi celeberrimos, prouocarunt. Eadem fere indignatione accipiendi sunt, qua iuuenis quidam in numero-

merum candidatorum referendus atque in examine ro-  
gatus: quaenam Augustanae confessionis sit natura? quae  
denominationis huius ratio? Hic enim sine haesitatione,  
quia, inquit, sub imperatore Augusto est confecta,

## §. XXIII.

Ne vero commentationis huius limites transgrediar, vnum tantummodo Nova ob  
adhus errorem attingam, eumque grauissimum, quem vetustatis praeiudicio folam  
infecti vt abhorreant, tantum abest, vt quotidie potius committant. Tempus nouita-  
nimurum hodiernum, hinc artes hodie exultas, et homines recentiori tem-  
pore florentes maioribus et antiquioribus sine dubitatione praeferre audent. praepo-  
Quoniam plura ipsis innatuere ex iis, quae hodie geruntur, ex iis, qui non nunt an-  
longe ante vixerunt, plura quoque rebus et hominibus hodie existentibus tiquori-  
nese putant. Fallax haec sententia sermones gignit inter se pugnantes. Mo-  
do nostram felicitatem tollunt, modo autem nimis augent. Id quod prae-  
caeteris in orbe litterato fieri sentio. Semper praecepitatem eorum ani-  
mum admiror, qui artes, disciplinas ac scientias hodie ita vigere praedicant,  
vt nunquam antea. Seimus quidem post renatas litteras multas; scisne autem,  
an plura, quam homines, quos non sexaginta sed sextorum fere annorum  
vñs docuit? Inuenta tamen hodie sunt quam plurima, quae olim latuere.  
Quot vero ignorantiae tenebris hodie inuoluta sunt, alias plane ab homini-  
bus perspecta? Librorum autem elegantiorum haud vilis copia breuiori  
tempore hodie replere potest hominum mentes, quam olim, vbi proprio  
Marte faciendum erat periculum. Falleris. Iam Salomonis tempore libro-  
rum exarandorum non erat finis. Si etiam doctrinis ipsis libris hodie contentis  
principatum concederem, homines tamen scientiis imbuendi numquam  
firmo incident gradu, nisi accedit vñs et quotidiana experientia. Quoni-  
am vero iis, qui longius hac vita fruuntur, longe maiora et certiora vñs ve-  
niunt; nescio an homines antediluviani ita rudes et exquisitae doctrinac ex-  
pertes, vt plurimi recentiorum volunt, sint habendi. Artium inuentores ac  
magistros in iis ipse sacer codex numerat. Nec postea omnes cum tironibus  
nunc degentibus puto comparandos. Fuerunt enim non pauci supra natu-  
ram a spiritu diuino educti. Hi certe uno die alios plura et potiora docere  
potuerunt, quam nos totius anni spatio. Igitur sine dubio plane et distincte  
nouerunt veteres ea, quae hodie multo labore ex tenebris proferri coepa  
sunt. Ad res naturales praesertim respicias. Sistema illud Copernicanum fu-  
eritne plane incognitum ante Copernicum? Valde dubito. Iam Pythagoras  
eiusmodi protulit sermones, qui non obscure de eo significant. Hic vero tem-  
pore Danielis atque Ezechielis in Babylonie versatus eorum institutione fine  
dubio vñs est. Nam scholas Chaldaeorum physicas, quarum rector tunc  
fuit Daniel, vt frequentaret, in Babyloniam est profectus. Quae de reliquis  
recenter repertis, vt corporum elasticitate, seu rectius electricitate, iure glo-



gloriamur, nimiam statim duco gloriam, si omnem eorum notitiam veteribus abrogamus. Archimedem enim illum multa de iis calluisse, haud temere coniecerunt rerum naturalium indagatores peritissimi. Certum quoque de eo ferremus iudicium, si de eo, quem ad modum de Euclide alisque, scripta existarent testimonia.

Sed finem huic tractationi imponere, eiusdem admonet finis. Instat dies, quo ex CELSISSIMI COMITIS AC DOMINI, DOMINI CHRISTIANI ERNESTI, Comitis in Stolberg, Königstein, Rochefort, Wernigeroda et Hohnstein, Dynastae Epst. Munzenb. Breub. Aigm. Lohr. Kletteb. Equitis Borussiae aquila nigra nunc. ordinis, caet. DOMINI MEI CLEMENTISSIMI voluntate et imperio laborem in Lyceo Wernigerodano sex fere annos peractum oratione quadam publica finiam. Edictio CFLSISS. COMITI audiens sui, quum Correctoris munus in me suscipendum mandauit. Vocem enim Dei ex ore Principis percipere, tuto existimauit. EIDEM itaque e schola ad solam bibliothecae SVAE splendidissimae curam me euocanti morem gero paratissimus, Deo me meisque omnibus commendatis. Discessus huius causa typis exscriptus est libellus hic, cuius argumentum quidem exercitationi disputationiae a discipulis quibusdam adulterioribus vna publice instituendae destinaueram; proposito autem huic quum temporis et rerum praesentium abnuerint conditiones: non alienum tamen hoc thema duxi ad indicandam orationem valedictorianam de Circumspectione erudita crastino die post horam II. pomeridianam in auditorio scholae superiori habendam.

Quam clementer beneuoleque audire ut ILLVSTRISSIMI COMITATVS HVIVS PRINCIPES, DOMINI CLEMENTISSIMI, et omnes rei litterariae, scholae praesertim nostrae, FAVTORES et AMICI haud grauentur, dedignentur, submissis enixque oro, obsecro atque obtestor.  
P. P. Wernigerodae, d. X. April. 1555.







78 L 1637  
(39)

ULB Halle  
006 805 124

3



vda78





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



78 L 1637 [39]

COMMENTATIO PHILOSOPHICO CRITICA  
DE  
ERRORIBVS  
EX PRAEIVDICIO VETVSTATIS  
IN HISTORIA  
FACILE COMMITTENDIS.

QVA  
AD AVDIENDAM ORATIONEM VALEDICTORIAM  
IN WERNIGERODANO ARTIVM COLLEGIO  
D. XI. APRIL. CIO IO CCCLV.  
HABENDAM

ILLVSTRISSIMOS COMITES  
ET SCHOLAE PRAESIDES  
FAVTORES DOCTORES ATQVE AMICOS  
OMNI, QVA OPORTET, PIETATE ET OBSERVANTIA  
INVITAT

CHRISTOPHORVS GODOFREDVS IACOBI, P. D.  
ILLVSTRISS. COMIT. STOLB, WERN. BIBLIOTHECAE PRAEFECTVS.  
LYCEI HVCVSQVE CORRECTOR.

Wernigerodae, e Molybdographia I. G. Struckii, typogr. aulic.

